


LVNÆ DIE 16 M. IVNII A. 2003

A.d. XVI Kal. Iulias a. MMIII

II4

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



RESPONSVM AD AMICVM AMERICANVM

Ἄρχῆν ἰᾶσθαι πολὺ λῳιον ἢ τελευτήν

« Galli Belgæque facti sunt non tantum inimici, sed hostes nostri », scribis, et me interrogas cur. Verum responsum afferre conabor, sed, noli angi, tam languidi facti sunt Europæi, ut non sint hostes timendi. ¶ Inter politicos Europæos, Galli et Belgæ recentibus Americanorum consiliis quam maxime, ut patet, obstiterunt. Non omnes tamen harum regionum incolæ cum suis politicis consentiunt. Cives qui cogitant atque præteritorum memoriam tenent non respuunt antiquum adagium Græcum supra scriptum, quod his Latinis verbis exprimitur : « Satius est initiis mederi quam fini » (Erasmi Roterodami adagium 140).

¶ Plerique tamen homines per se non cogitant atque duces opinionis eo libentius sequuntur, quo labores minus ardui ab eis petuntur ; hi sunt oves balantes, quæ non « βῆ βῆ » ut apud Aristophanem, sed « pacem pacem » solum proferre valent. ¶ Regentes nostri etiam scholarum discipulos suis iudiciis imbuere conantur. Instante bello Iraquiano, videram ingentem pannum album in fronte cuiusdam gymnasii suspensum. Hanc rem cum mirarer, neptis mea mihi dixit in schola sua discipulos folles albos in cælum misisse, etiam ut paci faverent. In eo eram ut ad scholæ præfectum severe scriberem, rogans quo iure suam opinionem politicam discipulis imponeret, cum comperi non præfectum hoc iussisse, sed ipsum administrum educationis publicæ rem præfectis mandavisse ! ¶ Cur politici nostri hoc modo se gerunt ? Ut in familiis sæpe accidit, multi Europæi consobrinis suis Americanis invident propter potentiam tantum auctam, ut in omnibus fere rebus soli agere valeant. ¶ Post alterum bellum mundanum civitates Europææ omnem potentiam celeriter perdiderunt. Vastas regiones extraneas, quas ante bellum administrabant, plus minusve dolenter relinquere debuerunt. Restabat ut singulæ se ipsas tantum curarent. ¶ De periculo sovietico, quod eis diu institit, vix curaverunt ; satis eis erat Americanorum tutelæ confidere. Propter hanc efficacem tutelam nationes nostræ pace fructæ sunt per semisæculum. Præterea civitates quæ non erant in Unionis Sovieticæ ditione non solum pacem adeptæ sunt, sed etiam prosperitatem qualis antea numquam fuit. Hoc fieri potuit propter auxilium œconomicum quod, monente generale Marshall, eis tulerunt Americani. ¶ Diu sæviit in orbe terrarum « bellum frigidum », quod dicitur, inter Unionem Sovieticam et Americæ Civitates Fœderatas ; quod fuit

etiam certamen inter duo diversa regimina ; in tyrannide sovietica negabatur hominis libertas, quæ e contrario magni æstimabatur apud Americanos. Libertas vicit et tyrannis corruit, sed hoc solum fieri potuit quia Americani opibus suis usi sunt ad potentiam militarem ita augendam, ut regimen sovieticum eos æquare iam non posset. ¶ Dum hoc ingens certamen habetur, in Europa diu vigerunt politicæ partes communisticæ, quæ Americanorum œconomiam capitalisticam oderant atque tyrannidem sovieticam non condemnabant. « Intellectuales sinistri », qui dicuntur, post ruinam regiminis communistici negare iam non potuerunt eius sævitiam, cum ipsi Russi liberati rem proclamarent. Pacifismum nunc provehunt. ¶ Humana societas Europæa facta est societas debilius. Pueri iam non educantur neque erudiuntur ; imprimis oportet ne nimis defatigentur neve tædio opprimantur ; sint omnia facilia et ludicra. Quid promittunt politici ad suffragatores alliciendos ? Se omnium commodum aucturos esse, laborem minuturos esse, mercedem aucturos esse. Quibus opibus hoc fieri possit nemo dicit, quia ad opes augendas semper fuit strenue et scienter laborandum. Civium mentes a veris necessitatibus avocantur excelsis causis defendendis, ubi primum locum tenent œcologia, pacifismus, solidaritas, democratia, de quibus multa inania proferuntur. ¶ Europæi hodierni comparandi sunt antiquis Græcis : uterque populus inhabilis fuit ad rem publicam communem instituentiam ; amissa potentia, Græci pace Romana fructi sunt atque Europæi pace Americana fruuntur. Græci tamen præstantiam sui cultus servaverunt ; quare multi iuvenes Romani Græciam petebant ad studia perficienda. In Europa infeliciter traditarum litterarum cultus, qui diu prævaluit, nunc etiam iacet. ¶ Populi Europæi hodierni pacifismo tantum imbuti sunt, ut politici suffragatores facilius alliciant pacem in omnibus casibus provehendo. Dedecet tamen eos qui protectore egent a protectore deficere. ❖

Gaius LICOPPE

LATINITAS ET CETERÆ LINGVÆ VNIONIS EVROPÆÆ (II)

– scripsit Ericus Palmén –

In priore parte commentationis meæ de historia Latinitatis disserens summam exposui, quem ad modum etiam collapsio imperio Romano hæc lingua in maxima parte Europæ per multa sæcula velut lapis fundamentalis vel clavis universalis animi culturæ occidentalis conservata esset.

Traditio Latina a Romanis antiquis relicta inter nationes occidentales nostra quoque ætate multimodis vivit. Huius rei pro maxime conspicuo testimonio commemoraverim systema litterarum Latinum, quod multo simplicius et habilis est quam e.g. systemata Arabum aut Sinensium aut Iaponensium, quæ omnia variorum signorum multitudine scatent. Optimo iure Turci anno 1928 litteris Arabicis a se antea adhibitis abstiterunt et Latinas litteras in locum earum substituerunt. Olim Græci litteras suas de exemplaribus Phœnicensium creaverant, additis inter consonantes vocalibus. E Græcis litteris postea alphabetum Cyrillicum evolutum est, quod fundamentum est litterarum Russicarum; in occidente autem eadem litteræ per Etruscos paululum mutata Romam pervenerunt. Iuxta maiuscula antiqua initio mediæ ævi etiam diversi generis minuscula usurpari cœpta sunt. Quod autem ad numeralium optima signa attinet, eorum creatorum laus plane Arabum est, non Romanorum.

Altera res mentione digna est occidentalis ratio temporis numerandi a C. Iulio Cæsare stabilita. Eam postea solus papa Gregorius XIII exeunte sæculo sexto decimo paululum emendavit, id est calendarium Iulianum in Gregorianum mutavit. Romanis antiquis, apud quos annus quondam a mense Martio incipiebat,tribuendum est, quod plurimi Europæi, quin etiam Russi, hodie mensem nonum anni Septembrem, decimum Octobrem, undecimum Novembrem et duodecimum Decembrem appellant. Qui autem Septembrem præcedunt menses, Iulius et Augustus, antea Quintilis et Sextilis nuncupati, inde ab ætate imperatorum monumenta restant duorum Romanorum illustrium: C. Iulii Cæsaris et Octaviani Augusti.

Prætermitto hodiernos terminos technicos originis Latinae, quorum in omnibus disciplinis est immensa multitudo; breviter autem attingo duo vocabula internationalia, quæ illustrant, quo modo homines occidentales otium agere consuerint. In sermone Græco est substantivum σχολή, quod initio quodvis « liberum tempus » significaverat, mox autem in se inclusit lectiones doctas, quas audiendo liberum tempus a Græcis sæpe consumebatur. Cum in Latinitatem transferretur σχολή, harum ipsarum lectionum vim habebat. Evolutio semantica continuabatur: vocabulo Latino *schola* etiam locus, ubi institutio aut lectiones fiebant,

designari cœptus est. Ita hæc vox, quæ vacuum tempus optime animum excolendo consumi monet, velut in nuce aliquid occidentali cultui civili commune nobis tradidit. Heres eius Italica est *scuola*, Hispanica *escuela*, Francogallica *école*, Anglica *school*, Theodisca *Schule*, Suetica *skola*, Finnica *koulu*, Hungarica *iskola*. Quin etiam Slavicae linguae heredes vocabuli Græci σχολή per « cribrum » Latinum receperunt.

Ex altero vocabulo internationali, *sport*, elucet non omnes otium lectionibus audiendis aut animo excolendo dedicare consuevisse. In lingua Hispanica huius vocabuli forma est *deporte*, quod originem eius nobis patefacit. Fundamentum est verbum Latinum *deportare*, e quo ortum verbum Francogallicum *déporter* medio ævo diu idem ac verbum Theodiscum *ablenken* valens hac fere paraphrasi explicari poterat: « a mediis laboribus cotidianis ad otium (hilariter) agendum deportare ». Substantivum *deport*, cui videlicet propter confusionem præfixorum Latinorum *de-* et *dis-* etiam forma *desport* evoluta est, item « deportationem ad otium (hilariter) agendum » vel ipsum « otium » significabat et in linguam Anglicam translatum formam *disport* et postea formam contractam *sport* accepit. Hæc præcipue ad venationem vulpium designandam transiit, qua nobiles Britanni otium agere solebant, et cum venatio res non nisi viris fortibus et validis apta esse iudicaretur, evolutio semantica vocabuli novam ingressa est viam: eo omnia includebantur, quibus viri fortes et validi se aliis superiores præstare possent. Hac in significatione athletica *sport*, vocabulum Anglicum, in aliis quoque linguis consedit.

Hodie Latinitas non solum apud theologos et humanistas, sed etiam multis aliis in campis lingua quædam fundamentalis esse pergit. Hoc præcipue in biologia et medicis et iuris consultis valet. Celeberrimus est investigator Suetus Carolus Linnæus (1707-1778), qui nomenclaturam scientificam singulorum animalium et singularum plantarum creavit atque complura alia quoque opera Latina edidit. In systemate eius et animalia et plantæ exacte in classes et ordines et genera et species dividuntur; postea multæ species etiam in subspecies divisæ sunt. In opere eius *Species plantarum* inscripto (a. 1753) plantæ primum binominaliter appellantur (e.g. *anemone nemorosa*); in opere, cui titulus est *Systema naturæ* (decima editio a. 1758), similiter animalia nuncupantur (e.g. *larus canus*). Pari ratione etiam posterius investigatores naturæ novas species scientificè compertas nominare consuerunt.

Medicorum Latinitatem partim e denominationibus Græcæ originis constare facile est intellectu, cum meminerimus præsertim in hac scientia iam antiquis

sæculis Græcos magistros Romanorum fuisse. Ad corporis quidem partes denominandas plerumque sola Latinitas sufficit (e.g. *cor*, *manus*, *pes*), sed nonnumquam etiam Græcum vocabulum iuxta Latinum usurpatur (e.g. *hepar* = *iecur*). Quædam vocabula iam in antiqua Latinitate occurrentia semantice paululum mutata sunt (e.g. *musculus*, *rectum*, *thorax*, *vas*, *vena*). In diagnosibus et morbis denominandis sæpius ad Græca vocabula et neologismos confugiendum est (e.g. *alcoholismus chronicus*). Recentissimarum quidem denominationum multæ Anglice compositæ sunt, sed plerumque e vocabulis Græcæ aut Latinæ originis. Quin etiam denominatio *AIDS* e litteris initialibus vocabulorum Anglicorum *Acquired Immune Deficiency Syndrome* constans originem suam Græco-Latinam velut clamat: nam tria prima illorum vocabulorum a Latinitate in linguam Anglicam transierunt, ultimum e Græca lingua desumptum est. Eiusdem morbi neolatina simulque Hispanica denominatio est *SIDA* sive *Syndrome Immunitatis Defectus Acquisiti* (Hispanice: *Síndrome de Inmuno-Deficiencia Acquirida*).

Iuridicæ Latinitatis pro celeberrimo exemplo facere non possum quin sententiam Ciceronianam *Summum ius summa iniuria* (Off. 1,10,33) commemorem, cuius haud pauci iuristæ, si nimium sibi callum obdlexerunt, facile obliviscuntur. Velut compendium versuum a Medea recitatorum *Qui statuit aliquid parte inaudita altera, / æquum licet statuerit, haud æquus fuit* (Seneca, Med. 199-200) usque ad nostra tempora conservatum est præceptum pervulgatum *Audiatur et altera pars*. Memoria dignum est etiam iuris consulti Romani Gaii præceptum *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt* (Corpus iuris civilis, Digesta 50,17,56), quod hodie plerumque in forma breviori *In dubio pro re* aut *In dubio mitius* exprimitur. Ne negotiatores quidem a iuridica Latinitate procul se abstinere posse ostendit sententia *Caveat emptor*, quæ hodie quidem in plurimis terris non iam valens in formam *Caveat venditor* mutari possit, quia etiam de consumentium iuribus per peculiare leges cautum est.

Quantum mercatorix prudentiæ etiam hodierni negotiatores e sententiis Latinis haurire possint, ostendit e.g. opus, cui titulus est *Caveat emptor*, a Tapio Helen et Kari Ketola in Finnia anno 1992 editum. Exstat eius etiam Anglica versio *Latin lives in Finland and beyond* (a. 1998). Quattuor ex eo hic sententias excerpo, quas quisvis mercator aut homo negotians, non quidem necessario scriptores Latinos legendo, sed utique cotidiano usu doctus comperit: *Principis est virtus maxima nosse suos* (Martialis 8,15,8), *Pecunia unum regimen est rerum omnium* (Publilius Syrus, Sent. P 9),

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit (Iuvenalis 14,139), *Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est* (Seneca, Epist. 2,6).

Hodierna Unio Europæa iisdem fere finibus continetur ac mediævalis orbis Latinus. Nostris quoque temporibus nationes in his finibus incolentes non solum religione Christiana, sed etiam hereditate antiquitatis Græco-Romanæ inter se coniunguntur. Hæc Europæis optima causa est communes radices culturales Latinas una perscrutandi. Motus vivæ Latinitatis Avennione anno 1956 natus iure id sibi proposuit, ut linguam Latinam non modo docti investigarent, sed alii quoque homines ei studentes pro instrumento communicandi adhiberent; eodemque tendunt variæ societates Latinæ et circuli Latini recentissimis annis conditi. Activitas eorum singulis annis crescere videtur – id ego iam compluries summo cum gaudio animadverti. E.g. L.V.P.A. (= Latinitati Vivæ Provehendæ Associatio) iam plus decem annos et bidua Latina et seminaria singulas septimanas durantia instituit, de quibus Inga Pessarra-Grimm lucidissime disseruit (*Acta selecta noni conventus Academiæ Latinitati Fovendæ*, a. MMII, p. 205-214). In Italia fungitur Circulus Panormitanus, cuius etiam in interreti sunt præconia. Huius cum omnem activitatem nondum satis noverim, omitto de eo hic plura scribere. Malo aliud exemplum mihi notius, parti autem Melissam legentium fortasse ignotum, proferre – scilicet, qua ratione in Finnia orta sit consuetudo nuntios Latinos radiophonice emittendi.

Dicta consuetudo orta est autumno anni 1989 felici quodam impulsu animi, auctore redactore Radiophoniæ Finnicæ Generalis, cui nomen est Iohannes (v. Hannu) Taanila et qui postea haud iniuria sese per iocum et patrem et matrem et obstetricem nuntiorum Latinorum nuncupavit. Is, cum in quoddam convivium invitatus participes eius sollempni oratione Latina obstupefacere vellet, docentem philologiæ classicæ Gregorium (v. Reijo) Pitkäranta adiit rogans, ut ille textum orationis suæ Finnicæ scriptum in Latinum converteret. Hoc Pitkäranta libenter fecit. Postea Taanila et Pitkäranta denuo convenerunt, tumque colloquentibus iis in mentem venit, numquid obstaret, quominus sermo Latinus etiam per undas radiophonicas in aliquot programmatis in usum publicum rursus induceretur. Cum Radiophonia Finnica Generalis iam pridem nuntios Sueticos et Anglicos et Theodiscos et Francogallicos emittere soleret, consentaneum videbatur nuntios Latinos iis adici.

Taanila, qua erat rerum novarum cupiditate, statim summo ardore ad consilium perficiendum agere adortus est. Initio quidem ii, qui in Radiophonia Finnica

Generali summam imperii tenebant, in rem tam inauditam adverso, ne dicam fastidioso animo fuerunt et peculiarem in programmate locum nuntiis Latinis negaverunt. At Taanila consilio non desistens programmati cuidam septimanali, cui ipse præerat, nuntios Latinos inseruit. Prima emissio eorum, quæ quattuor minutas duravit, Kalendis Septembribus eius ipsius anni facta est.

Hoc initium fuit eiusdem generis nuntiorum septimanatim emittendorum. Triumviratum nuntiis Latinis componendis iunxerunt Taanila et Pitkäranta et professor Thomas (v. Tuomo) Pekkanen. Primum quidem illi laborem ita inter se diviserunt, ut Taanila materia selecta textum Finnicum componeret eundemque Pitkäranta et Pekkanen vicissim Latine redderent et in studio recitarent. Paucis tamen septimanis post triumviratus in duumviratum mutatus est; Taanila enim, postquam emissiones bene incohas esse vidit, etiam delectum rerum tractandarum Latinistis concessit.

Mox effectum est, ut nuntii Latini per undas breves in totum orbem terrarum diffunderentur atque in Finnia etiam in albo televisionis textualis scriberentur.

Iam uno mense post nuntios incohas redactoribus eorum et Radiophonix Finnicæ Generali per acta diurna peregrina nec minus per epistulas privatas magnæ pro iis gratiæ agi cœptæ sunt. Itaque nuntii Latini paullatim meliorem statum consecuti inde a Kalendis Iuniis anni 1990 in primo reti Radiophonix Finnicæ Generalis sub proprio titulo septimanatim emittuntur.

Postea iidem nuntii in libellos semel in biennio edendos colligi cœpti sunt. Textus singularum emissionum in binis paginis sunt collocati, interpositis summaris Finnicis et Anglicis, quæ minoribus litteris scripta sunt. Ad finem uniuscuiusque libelli adiunctum est vocabularium alphabeticum Latino-Finnico-Anglicum neologismorum in nuntiis adhibitorum. Quinque huius generis libelli in lucem prodierunt. Novi libelli posthac non iam edentur; namque hodie textus nuntiorum etiam in interreti cuius eos in proprium usum desumere cupienti præsto sunt.

Favori, quem nuntii Latini sibi conciliaverunt, saltem aliquatenus tribuendum est, quod Societas Periegetica Helsinkiensis anno 2000, anniversario quadringentesimo quinquagesimo urbis, cum consilium cepisset lustrationes sesquihorales instituendi, quibus periegetæ historiam et monumenta aliaque mirabilia eius comperire studentes laophoro circumvecti enarrationem mystagogæ auricularibus sequi possent, in numerum linguarum, quibus res enarrarentur, etiam Latinitatem accepit. De mirabilibus Helsinkiensibus

Latine illustratis plura noscere cupientes ad commentationem Thomæ Pekkanen in *Melissa* (95 / 2000, p. 4-5) editam delego.

Ex iis, quæ supra rettuli, apparet ad vivam Latinitatem efficaciter colendam non modo Latinistis præstantissimis artem diurnariam callentibus, sed etiam aliis Latinitatis propagandæ studiosis opus esse.

Mense Septembri anni 2002 decimus Conventus Academiae Latinitati Fovendæ Matrity habitus est. Ibi, ut compluries alias, hodierna incepta institutionis Latine renovandæ examinabantur. Talibus inceptis nostra ætate nequaquam obstant discipuli scholarum, e quibus multi immo valde gaudent, si facultatem sortiuntur de rebus modernis Latine colloquendi ac Latine ludendi et cantandi. Gravius obstaculum est iniquitas moderatorum politicorum Latinitatem pro lingua mortua habentium - necnon ignavia nonnullorum præceptorum, qui videlicet metu quodam vivæ sermocinationis Latine adducti recusare perseverant, quominus suas docendi rationes recenseant aut renovent. Equidem optime memini conviviorum, quibus Latine cantantes et saltantes et comoediunculas agentes duo seminaria Erycina vivæ Latinitatis annis 2000 et 2002 conclusimus. Si quis tum forte contendisset linguam Latinam mortuam esse, eum certe ridentes interrogavisset: « Num alium mortuum vel aliam mortuam tanti vigoris umquam vidisti? »

Denique repeto, quod in prima parte huius commentationis scripsi: quo magis et efficacius Europæi Latinitate erudiantur, eo meliorem habebunt facultatem etiam alias linguas peregrinas discendi. Nobis Latinistis nimium monolinguisum vitandum esse censeo, ut quem quisvis Europæus pro impetu quodam in suam identitatem nationalem iudicare possit. Præstat plurilinguismo favere atque humanitate erga eos uti, qui Latinitatis nondum quidem satis periti tamen hanc linguam noscere student, ne ab illo studio deterreantur, sed potius suaviter ad discendum impellantur. Libros institutorios ita renovari oportet, ut posthac vivæ Latinitatis fautoribus melius quam antea inservant. Non est dubitandum, quin, quo iucundiorem tironibus Latinitatem reddiderimus, eo certius novos illi amicos et novas amicas simus conciliaturi. ❧

RAPTIM HVC DEVERTISTI... !

– cecinit Ericus Palmén –



Participes seminarii Siciliensis (a. 2002) cantilenam « Raptim huc » inscriptam tam studiose, tam vivaciter, tam gaudenter exercuerunt, ut melodia in omnibus auribus adhuc vibret. Ad clavile sedet Stephanus Feye ; iuxta eum stat Ericus Palmén.

Raptim huc devertisti : non hic remanens
raptim hinc discessisti, me deiciens !
Raptim hinc evanescent omnia,
raptim huc curret nova pupula !

Alius sit comes tibi, sicut dictitas :
vix arbore suspendam memet, ut existimas !
Non afflictus sum, non otiosus maneo ;
dum tempus fugit, diem carpens semper propero.

:: Raptim huc devertisti : non hic remanens
raptim hinc discessisti, me deiciens !
Raptim hinc evanescent omnia,
raptim huc curret nova pupula ! ::


Sane licet abeas, dum ne sis immemor:
accurret ad me pupula te multo melior !
Cur abieris, nequaquam istud cogito ;
dum tempus fugit, mora quævis est exitio !

:: Raptim huc devertisti : non hic remanens
raptim hinc discessisti, me deiciens !
Raptim hinc evanescent omnia,
raptim huc curret nova pupula ! ::

Canticulam *Le stagioni dell'amore* inscriptam, quæ ex Italia oriunda est, quondam Finnice reddens Iohannes (v. Juha) Vainio originale sensum eius ita mutavit, ut versione Finnica potius amorem, dum « fugit irreparabile tempus » (Vergilius, *Georgica*, 3,284), rem cito prætereuntem esse declararet. Finnica verba initialia canticulæ *Käymään vain tänne tullaan eikä olemaan* exacte in Latinum ita converterim : « Ad visendum tantummodo huc venit neque ad commorandum ».


Equidem æstate proxime præterita, paulo ante quam in Seminarium Erycinum vivæ Latinitatis (4.-II.8.2002) proficiscerer, hanc canticulam libere, ut rhythmus eius conservaretur, e Finnico in Latinum converti sperans fore, ut Erycem allata inter alios cantus a participibus seminarii in choro una voce exhiberetur. Quam spem omnes, qui seminario interfuerunt, non modo me non fefellisse, sed etiam satis superque expletam esse sciunt. Translatio supra posita postea paululum retractata est. ❧

CAMBOSIA (I)

- narrata ab Alexandro Vanautgaerden¹ -

Strenuus viator non sum. Annos tamen fere viginti
 Soccasionem optavi Angkoræ lustrandæ. Interea pau-
 latim eram oblitus, cur tale iter mihi iam diu esset
 cordi – ita oblitus, ut iter per se videretur necessarium,
 tamquam si sine Cambosia vita non fuisset vere vitalis.


Diu satis habui statuas Khmerianas admirari hic
 illic inventas in Parisino museo Guimet (præ refectione
 infeliciter nimis diu clauso) aliisque museis Asiæ meri-



dionali et orientali partim dicatis. Quæ mihi cogita-
 bundo mirabiliter subridebant ; pudica suavitate distin-
 guebantur ab Indicis signis, quæ superioribus inferiori-
 busque tabulatis exponebantur.


Haud multum legebam. Solum spectabam et cerne-
 bam, quantum poteram, hoc ingenium singulare. Per
 corporales uxorū Sivæ formas quærebam quibus
 modis sculptura Khmeriana lente maturuisset. Id stu-
 debam dignoscere, quod esset Khmeris proprium, cete-
 ris alienum.


Gratum videbatur in tam dulci regione versari.
 Cambosia mappam geographicam spectabam ; delecta-
 bar cursum Mecongi sequendo, qui ex Himalaia pro-
 fluit, per Laosium transit, in urbe Phnom Penh mox



mirum in modum confluxurus cum fluvio Tonle Sap,
 qui fluvius, prout libet, sive Angkora ad urbem caput
 defluit, sive, cursu inverso, illinc Angkoram.


In mappa digito sequebar cæruleos mæandros ;
 maxima voluptate tempus præcogitabam, quo tremu-
 lam aquam somniculosus essem percepturus. Quod ali-







quando futurum esse certo sciebam. Illuc aliquando profecturus eram.

Ad rumores attendebam. Mane adhuc sopitus nuntios nonnumquam audiebam de rerum eversionibus, de Sihanuko, de Mondolkirio, de Khmeris Rubris, de minis personalibus, de sanguineis comitiis, de Organizatione Nationum Unitarum. Displicebat autem tam longe peregrinari ad bellum doloresque invenien-




dos. Tum exspectabam, somno indulgebam, de itinere somnians magis magisque dubitabam num quando Angkoram visurus essem antequam obdormiscerem in perpetuum.

Longissime videbatur esse Angkora. Mihi tamen solacio erant illa Villelmi Somerset Maugham verba,



ante longum tempus lecta in opere cui titulus est *The Gentleman in the Parlour. A Record of a Journey from Rangoon to Haiphong*: « Id quod, aiebat, lustrationem Angkorensem facit eximiam, id quod animum vestrum præparat ad tantam rem suscipiendam, est ipsum intricatissimum iter, quod est ad illa loca petenda necessarium. » ❖



1. In Latinum vertit F. Derædt. Photographemata facta sunt ab auctore.

INEDITA HIERONYMI BONONII (1454-1517) EPIGRAMMATA LITTERARIA, IOCOSA, LASCIVA

– quæ primum publicavit Theodericus Sacré –

I. QUOD INANE SIT POETICUM STUDIUM¹

Quid faciam versus quos vix legat unus et alter,
muneris unde nihil vita reportet inops,
suspendant tumidi quos unca nare magistri
censuraque notent barbara dicta gravi ?
Si iam nulla manet merces, si gloria versus
nulla, quid incassum tempus inane teram ?

2. EX TRANQUILLO²

Cæsar virorum mulier omnium fuit,
idem mulierum cum foret vir omnium³.

3. DE HERMOLAO BARBARO⁴

Multi tempore barbari Latinum
exacto vitiaverant nitorem ;
nostro tempore Barbarus sed unus
linguæ restituit decus Latinæ⁵.

4. DE COQUO ARBITRO⁶

Dicentem de iure coquum videtis ; at ipsum
ius condire coqui est : quod sapit, hoc loquitur !

5. IN LIBELLUM NUGACEM ATQUE SUPERFLUUM⁷

Huic operi, lector, quod possis addere nil est.

6. AD VIDAM⁸

In te Vida, Maro post sæcula longa revixit,
Mæonis⁹ e cuius personat ore tuba.
Unde habeat causam meriti si gratia tanti
quærimus, excelsi munus opusque Dei est.
Quippe tibi mentem gravidæ genitricis in alvo
unus ut omnipotens iussit inesse sacram,
ad sua qui fieres mysteria rite sacerdos
flatibus excelsi numinis æqua canens.
Inde lepos, digni maiestas carminis inde
præterit humanum cælitus orta modum !

7. AD EXIMIUM POETAM ATQUE THEOLOGUM FRATREM
BAPTISTAM CARMELITANUM MANTUANUM¹⁰

Carpere sospes adhuc vitales diceris auras,
ætatem in Pyliam vivere digne senex,
perpetuam sedare sitim Permesside lympha,
in tua quæ iugi labra liquore fluit,
cuius Minciades modulatæ carmina nymphæ

Manibus Andinis tura Sabæa ferunt ;
dumque Bianco¹¹ sollempnia iusta sepulchro
solvunt, blanda melos nœnia dulce sonat ;
fatidicæ pergunt laudes simul edere vatis,
antiquum de qua Mantua nomen habet¹².
Ergo, Musarum et Christi venerande sacerdos,
æternum facient hæ decus, ille animam.
Pierii assertor per sæcula longa leporis,
incluta Carmelli gloria montis, ave !
Immortale tibi est nomen, Baptista futurum
Parthenicen donec mundus utramque colet¹³.

8. IN IOANNIS BAPTISTÆ CARMELITANI OBITU¹⁴

Baptistam extinctum Carmellitamne putatis,
cuius habet perpes frigida membra sopor ?
Iniecit mors sæva manus his partibus, in quas
ius illi solas Iuppiter esse sinit.
At superest Lethe numquam debilis ulla
longa per æternum sæcula pulcher honos.
Nam dum hederæ, Phoebo dum laurus amica virescet,
vatis Apollinei fama superstes erit.

9. IN MARCUM¹⁵

Insequeris fures. Facis hoc bene, Marce. Sed omnes
esse putas fures. Hoc male, Marce, facis.

10. INSIGNIS PUELLÆ EFFIGIES¹⁶

Hanc sibi Dardanio sub iudice de tribus optet
haud aliam effigiem quælibet esse dea¹⁷.
Hactenus ars ; præclara animi ornamenta decusque
pingere quod reliquum est dextera nulla potest.

11. IDEM¹⁸

Qui spectas opus inclutum tabellæ,
effictam Venerem potes putare.
Sanctæ si potuisset ars puellæ
mores ponere, crederes Dianam.

12. AD GAZUM MEDICUM¹⁹

Dum²⁰ mandata pati clysteria podice nolo,
hauriri summo protinus ore iubes.
At pædicari foedum mihi, Gaza, videtur,
fellare at multo turpius esse quidem.
Irrumat et fellat stolido quod sumitur ore,
pædicat tantum podice quicquid inest.

13. AD LYDIAM²¹

Quod vager huc illuc varias adeamque puellas,
 stulta, soles de me, Lydia, sæpe queri.
 Uno si possem contentus vivere cunno,
 anterior cara coniuge nulla foret.
 Verum ubi cum quavis iam terve quaterve coivi,
 me satiat : vitium est hoc mihi (si vitium est).
 Uxores nolo ; volo, Lydia, liber amicas
 complures ; uxor sufficit una mihi.

14. TRIA ELEGANTISSIMI SCORTI EPITAPHIA²²

a) Quisquis homo es, quisquis cor habes, hoc siste sepulchro,
 siste gradum : ad lacrimas quo moveare legas.

Hic decus æternum Mollinæ Antonia gentis
 ætatis primo flore perempta iacet.

Cui Charites, Pallas, Musæ, Venus atque Cupido
 contulerant homini quicquid inesse licet.

Sed mortale fuit corpus ; mors abstulit ergo.
 Heu miseræ²³ ! Specimen quam breve tale datum est !

b) Clauditur hoc Mollina iacens Antonia saxo,
 Cumææ vatis digna videre dies.

Cedere cui Siren potuisset victa canenti,
 cedere cui pulsa victa Thalia lyra.

Quæ fuerit forma aut ætas ne quære, viator :
 eliciet gemitus utraque nota graves.

Fles tamen atque oculis lacrimæ labuntur ab udis :
 qui non hoc lacrimet funere, marmor erit.

c) Antiquas referens puella nymphas
 forma, moribus, artibus decora,
 Siren credita voce, Musa plectro,
 hoc Antonia clauditur sepulchro,
 cui cognomine contigit vocari
 Mollinæ, facilis quod et venusta
 ac mollis fuit. Heu severa Parca
 quæ tantum decus abstulit iuventa ! ❧

1. E codice 582/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, p. 387 (cfr. etiam cod. m.s. 43 (olim 11/36) bibliothecæ capitularis eiusdem urbis, f. 40r (e *Promiscuorum* libro septimo). Metrum : disticha elegiaca.

2. E codice 962/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, f. 201v (e *Promiscuorum* libro decimo). Metrum : trimetri iambici.

3. Cfr. Suetonius, *Divus Iulius*, 49-50.

4. E codice 43 (olim 11/36) bibliothecæ capitularis Tarvisinæ, f. 39r (e libro *Promiscuorum* septimo). Metrum : hendecasyllabi Phælæci.

5. Hermolaus Barbarus (1453/54 - 1493) multa de veteribus scriptoribus et phi-

losophis conscripsit. Notissimæ fuerunt eius *Castigationes Plinianæ et in Pomponium Melam* ; cfr. i.a. V. Branca, 'Ermolao Barbaro and Late Quattrocento Venetian Humanism', in J.R. Hale (ed.), *Renaissance Venice* (Londini, 1974, ed. alt.), pp. 218-243.

6. E codice Cicogna 2666 musei Correriani, qui numeris caret foliis appictis. Metrum : distichon elegiacum.

7. E codice Cicogna 2665 eiusdem musei (e *Promiscuorum* libro undevicesimo). Metrum : versus herous.

8. E codice 962/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, f. 333v (e *Promiscuorum* libro vicesimo). Hoc carmen anno 1516 distichis elegiacis exaravit poeta. Qui præconio hoc dilaudatur, ei nomen Marcus Hieronymus Vida. Cremonæ anno circiter 1485 natus, obiit anno 1566. Inde ab anno 1504 carmina nonnulla divulgavit ; maiora autem post Bononii obitum publici sunt facta iuris (veluti *Christias et Ars poetica*) ; cfr. i.a. S. Rolfes, *Die lateinische Poetik des Marco Girolamo Vida und ihre Rezeption bei Julius Cæsar Scaliger*, Beiträge zur Altertumskunde, 149 (Monaci et Lipsiæ, 2001) (poetæ vita adumbratur pp. 15-29).
 9. Id est Homericæ.

10. E codice 962/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, f. 225v-v (e *Promiscuorum* libro tertio et decimo, qui videtur anno 1509 vel 1511 esse compositus). Metrum : disticha elegiaca. Baptista ille Mantuanus Ord. Carm. (Mantua, 1447 - ibidem, mense Martio anni 1516) egregius erat poeta (quem « Christianum Maronem » anno 1496 nuncupavit Desiderius Erasmus (vide epistolam 49 (ed. Allen, I, p. 163, ll. 96-104)), postea et laudavit ipse Shakespearus. Cfr. i.a. E. Coccia, *Le edizioni delle opere del Mantovano*, Collectanea bibliographica Carmelitana, 2 (Romæ, 1960) ; G. Echard, *The Eclogues of Baptista Mantuanus : a Medieval and Humanist Synthesis*, *Latomus*, 45 (1986), 837-847.

11. Bianor Mantuæ conditor esse olim dicebatur.

12. Mantuæ nomen fabulose a Mantoe, nympha vaticina, deducebatur (cfr. Vergilius, *Æn.* 10, 198-200).

13. In lucem ediderat Baptista Mantuanus *Parthenices primæ, quæ Mariana nuncupatur, libros tres necnon Parthenices secundæ, quæ Catbarina dicitur, libros tres*.

14. E codice 962/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, f. 333v (e *Promiscuorum* libro vicesimo ; itaque carmen anno 1516 mihi videtur esse scriptum). Metrum : disticha elegiaca. Baptista ille Mantuanus a.d. XIII Kal. Apr. anni 1516 vitam hanc reliquit terrenam.

15. E codice 962/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, f. 118r (e *Promiscuorum* libro quinto). Metrum : distichon elegiacum.

16. E codice 582/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, p. 442. Metrum : disticha elegiaca.

17. Forma inter se certantibus Minerva, Iunone, Venere, controversia Paridi erat dirimenda.

18. Legitur ibidem. Metrum : hendecasyllabi Phælæci.

19. E codice Cicogna 2666 musei Correr dicti. Metrum : disticha elegiaca.

20. Dum : si *marg. corr. poeta, dein erasit*.

21. E codice 582/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, p. 539 (cfr. etiam cod. m.s. 43 (olim 11/36) bibliothecæ capitularis eiusdem urbis, f. 42r (e *Promiscuorum* libro septimo). Metrum : disticha elegiaca. Cetera eiusmodi, quæ et huic sæculo parum pudica videri possunt, consulto prætermisi.

22. E codice Cicogna 2666 bibliothecæ Correr dictæ ; cfr. cod. 962/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, f. 711v (sunt carmina libri *Promiscuorum* secundi, qui anno 1498 compositus esse videtur). Metra : disticha elegiaca (a/b) et hendecasyllabi (c).

23. Cfr. Plautus, *Merc.* 701 : Heu miseræ mihi !

DE RENOVATA BRENDANI NAVIGATIONE (I)

- scripsit Gaius Licoppe -


Exemplo Henrici Schliemann, qui antiquis mythis confisus Troiam invenit, et Arthuri J. Evans, qui Minois palatium e mytho suscitavit, incitatus, Timotheus Severin¹, historicus Anglus, indesinenter cogitabat de Sancti Brendani Navigatione : in hoc mediævali opere narraturne vera navigatio a monachis Hibernis sexto sæculo facta, an est fabula ficta ? Singularis ei videbatur hæc narratio ob loca, tempora, distantias et multas alias res accurate descriptas.

Idem cum ferias in Hibernia degeret, consilium cepit hanc navigationem experiri, ut tandem sciret utrum illo tempore fieri potuisset necne ; experientia vero, ut causam probare posset, egebat navicula simili naviculis, quibus Hiberni sexto sæculo utebantur. Hæc autem naviculæ bene notæ sunt ; earum antiquum nomen Latinum est *curucus*, e Græco κώρυκος, i.e. « saccus coriaceus » ; hoc nomen oritur ex eo quod carina erat coriacea. Nonnullæ parvæ scaphæ eiusdem generis adhuc a piscatoribus adhibebantur in remotis Hiberniæ occidentalis sinibus, at carina iam non corio conficiebatur, sed tela pice illita.

Prima Timothei consilii pars, fortasse non minima, erat curucum satis magnum extruere, qui simillimus esset mediævalibus navibus. De materiis adhibendis, de modo exstruendi imprimis erat inquirendum, id quod fecit in bibliotheca Britannici Musei ; utiles libros ibi invenit, inter quos *Historiam curucorum* a Iacobo Hornell conscriptam.

Unus in Hibernia adhuc supererat artifex, qui curucos conficiebat, Iohannes Goodwin duodeoctoginta annos natus. Thimotheus eum adiit ; neminem peritorem invenire potuisset ; nam ille non solum vitam sustinuerat curucos traditis instrumentis construendo, sed curucos tantum amabat, ut ingentem documentorum copiam servaret libenterque de eis disserteret. Inde multa perutilia comperit Timotheus.

Difficile videbatur corium idoneum invenire ; in documentis enim legebatur pellem bubulam esse adhibendam atque corium querceo cortice per duodecim menses esse perficiendum. Quis tale corium, quale Medii Ævi temporibus adhibebatur, nunc conficere valebat ? Dum Timotheus libros legit, eius oculi sæpe inciderunt in nomen Iohannis Waterer, qui habebatur homo historiæ corii eiusque usuum peritissimus. Qui vir interrogatus Timotheum Londinium invitavit in domum corporatorum ephippiariorum, Saddlers' Hall vocatam. Iohannes Waterer, etsi octoginta tres annos natus, vividissimus erat ; non solum scientia sua libenter adiuvit, sed insuper experimenta curavit faciendâ ut inveniret quale corii genus contactum aquæ sine detrimento posset diutius tolerare. Apparuit



Ad consuendas tot pelles crassas et duras, unus operarius non sufficiebat. Novem iuvenes arti ephippiariæ studentes se gregi sutorum libenter adiunxerunt.

corium bubulum querceo cortice perfectum, quod in documentis commendabatur, ad navigationis usum cetera longe superare.

Vix supererant in Magna Britannia artifices, qui modo tradito corium pararent. In Cornubia tamen erat parva villa rustica, ubi tria iam sæcula eadem familia, Croggon nomine, corium querceo cortice contra omnium sententiam perficere pergebat. Restabat ut Timotheus eis suaderet ut tantam bubularum pellium copiam intra breve tempus pararet, quanta necessaria erat ad carinam vestiendam. Feliciter consilium curuci mediævalis exstruendi genti Croggon multum arrisit, quæ promisit se huic rei maximam operam daturam esse.

Quinquaginta septem pelles mirabiliter perfectæ tempori fuerunt in promptu. Tunc, secundum librorum monita, pelles in cœsypum calidum breviter mersæ sunt et postea, cœsypo fuse illitæ, nonnullos dies cumulatae sunt, ut corium eo profunde penetraretur. Hæc tractatio re vera maxime erat iniucunda ; nam corium ipsum iam male olebat, sed cœsypum multo peius !

Aliquis etiam invenendus erat, qui auderet formam magni curuci veliferi delineare. Timotheus interrogavit Regale Institutum Navigationis, ubi ei suaserunt ut architectum navalem, Colin Mudie nomine, adiret. Ille vir, qui diversa genera scapharum delineaverat atque ipse oceanum Atlanticum transnavigaverat minima navicula vectus, non dixit Timothei consilium insanum

esse, e contrario carinam libenter delineavit.

Cum fere omnia necessaria essent parata, tandem licuit constructionem incohare. In Hibernia erant navalia, Crosshaven Boatyard nomine, ubi naviculæ traditis materiis adhuc conficiebantur, exclusis plasticis, quin etiam metallicis materiis. Interrogatus, navalium curator respondit nihil obstare quominus curucum construeret, si tamen omnes necessariæ lignorum species inveniri possent. Nulla enim difficultas in partibus querceis, difficilior tamen fuit fraxineas laminas decem metra longas obtinere.

Curucorum carina construitur inversa. Imprimis in solo disponitur quercea carinæ margo, cui postea alligantur primum transversæ laminæ arcuatæ, deinde longitudinales. Quæ laminæ oportet sint fraxineæ, quia hæ solæ sunt satis flexiles; carina enim curuci non est rigida, ut in ceteris solet, sed fluctibus sine damno torqueri potest. Singulæ laminarum decussationes coriaceis tæniolis sunt colligandæ; opus longum, cum constet e mille et sescentis nodis! Notandum est nullum vinculum metallicum, nullum clavum adhibitum esse in mediævalibus curucis.

Effectus vero ligationum fuit optimus: materiatio firmissima erat; nam carina sine deformatione tolerabat robustum virum salientem. Tempus nunc erat materiatiorem pellibus vestiendi, sed quomodo consuenterentur? Nemo in navalibus hoc sciebat. Timotheus Eblanam (sive Dublinum) adiit, ubi Hibernum Museum Nationalem lustravit. Inter Medii Ævi vestigia invenit coriaceum sacciperium ad Biblia transportanda sexto sæculo confectum; quo inspecto, apparuit suturas non solum intra sacciperium factas esse, sed insuper in ipsius corii crassitudine obiectas; filum suturæ re vera erat invisibile.

Qui sutor hodie valeret tam artificiose operari? Tam pauci supererant ephippiarii, ut labore obruerentur; nullus otio fruebatur ad Timotheum adiuvandam. Unum tandem invenit in Hibernia, Iohannem O'Connel nomine, qui, quamquam eximiam famam habebat, ad aliam artem se converterat matrimonii causa; qui vir singularitate consilii allectus visum venit atque mansit ad opus dirigendum.

Ad tot pelles crassas et duras resticula linea consuendas unus operarius certe non sufficiebat; Timotheus nonnullos incolas vicini vici iam suaserat ut auxilium ferrent, sed etiam interrogavit præfectum Londiniensis Scholæ Ephippiariorum, num licentiam daret voluntariis discipulis, qui pelles consuere vellent. Præfectus audiens Iohannem O'Connel rem dirigere statim annuit atque novem iuvenes se gregi sutorum gaudentes adiunxerunt. In prora et in puppi, ubi maximum erat


periculum cuiusdam contusionis, quadruplex corii stratum est impositum; solus Iohannes O'Connel instrumenta idonea atque brachiorum vim aptam habebat ad corii crassitudinem trium centimetrorum subula perforandam.

Duo mali et complures remi confecti sunt ex ligno fraxineo optimæ qualitatis. Vela erant, ut antiquitus, e lino facta. Post tres annos investigationum arduique laboris, curucus tandem erat paratus.

Die 24 mensis Ianuarii anno 1976, curucus in arena maris ora depositus est. Summo maiori malo involitabat Hiberniæ vexillum et minori vexillum Brendani, quo rubro colore delineabatur crux in circulo inscripta. Hoc enim signum vagantes Hiberni monachi multis in saxis inciderant. Magna pompa comitatus advenit episcopus Eammon Casey ad curucum baptizandum. Timotheus ei nomen dedit Brendani. More usitato lagœna ad carinam proiciebatur frangenda; quædam tamen astutia fuit adhibenda, quia corium vix frangere valebat vischii Hiberni lagœnam.

Numquam deesse videtur in Hibernia quædam superstitio; quare sub maiore malo depositum est bicentenarium dollarium argenteum atque intra ipsam parietem inclusa est ampulla aquæ benedictæ; hic adhuc erat mos in Hibernis curucis. ❧

1. Hæc historia narratur in: T. SEVERIN, *Le Voyage du Brendan*, Parisiis, Albin Michel, 1978. Inde excerptæ sunt imagines hic prolatae.



Opere laborioso tandem perfecto, curucus « Brendan » baptizatus ad aquam portatur.

PAGINA ALBA

- *Cecinit Daniel Blanchard* -

In medio

stat

timor scribendi

ut

fera

in

agro

AD PUELLAM ET ALIA CARMINA


– panxit Horatius Antonius Bologna –

AD PUELLAM

Sol radiusque ferit tepidus iam corpora nostra
quercubus sub celsis vincta tepore mero.
Invidus ille videt, peragrans munimina saltus,
quem mulier donet mitis amore virum.
Pulchra puella tegit labio labiumque virumque,
lingua premit linguam dentibus arcta levis.
Oscula tum resonat viridis, dulcissima, silva,
pectora dum manibus vir leve tractat iners.

IN PATRIS OBITUM

Te Deus, alme pater, iustis soletur in ævum
muneribus. Lumen luceat ipse tibi.
Terra levis solamen adhuc tibi praebeat alma,
collacrimante, pater, coniuge, prole tua.



VESPERE

Vespere si tua frons curis sulcisque gravetur,
consilium gradiens pectora triste premat,
sollicitus vino curas compesce molestas,
cum pulset timidus vespere pectus amor.

IN PASSERIS MORTEM

Ægra fuit, passer gracilis, tua vita per arva
hiberno cum nix tempore dura cadit.
Pipiat implumis celsa super arbore pullus
unguibus accepitrem pallidus ille timet.

NAVIGATIO SANCTI BRENDANI (V)

– *historia mediævalis adaptata a Francisca Deraedt* –

Appropinquabant ergo ad insulam¹, usque dum navis stetit in litore. Erat autem insula mirabiliter plana, ita ut videretur æqualis mari. Nulla erat arbor, nihil quod a vento moveretur. Tamen cooperta erat scaltis² albis et purpureis. Ibi viderunt tres turmas, sicut vir Dei prædixerat. Et semper ibant huc atque illuc, et una turma stans hoc cantabat : « Ibunt sancti de virtute in virtutem et videbunt Deum deorum in Sion. »³ Cum una turma perficiebat illum versiculum, alia turma stabat et incipiebat cantare idem carmen, et ita faciebant sine intermissione.

Erat hora quarta cum portum insulæ tenuerunt. Cum sexta venisset, turmæ cœperunt simul cantare : « Deus misereatur nostri » usque ad finem, et « Deus, in adiutorium meum », similiter et tertium psalmum « Credidi »⁴. (...)

Postero die, duo e turma iuvenum eis dixerunt : « Reddite nobis fratrem nostrum et proficiscimini in pace. » Tunc sanctus Brendanus vocavit prædictum fratrem ad se et : « Osculare, ait, fratres tuos et vade cum eis qui te vocant. Vade et ora pro nobis. » Osculatis omnibus, frater protinus secutus est duos iuvenes.

Venerabilis pater cum suis sodalibus cœpit navigare. (...)

AVIUM PUGNA

Cum navigarent, avis apparuit quæ vocatur griffa⁵ e longinquo volans obviam eis. Quo viso fratres sancto patri dicebant : « Ad nos devorandos venit illa bestia ! » Eis vir Dei respondit : « Nolite timere. Deus adiutor noster est, qui nos etiam hac vice defendet. » Interea bestia unguas extendebat ad servos Dei capiendos. Et ecce subito alia ingens avis rapidissimo volatu venit obviam griffæ. Quæ statim voluit eam devorare. At altera se defendebat, usque dum superavit atque oculos griffæ evellit. Griffa tam alte avolavit, ut fratres eam vix possent videre. Attamen altera non destitit quin eam interficeret ; nam cadaver eius coram fratribus iuxta navem cecidit in mare. (...)

MARE TRANSLUCIDUM ET OCEANI MIRABILIA

Quodam vero tempore, cum sanctus Brendanus celebraret Sancti Petri Apostoli festivitatem in sua nave, mare invenerunt tam clarum, ut videre possent quid subtus esset. Aspexerunt intus in profundum et viderunt diversa genera bestiarum in arena iacentium. Sibi videbantur eas posse manu tangere : tam clarum erat mare.

Fratres venerabilem patrem rogabant ut missam

suam silentio celebraret, ne bestię audirent neve surgerent ad eos persequendos. Sanctus autem pater subrisit : « Valde miror, inquit, vestram stultitiam. Cur istas bestias timetis ? Non timuistis omnium bestiarum maris devoratore et magistrum, immo sedebatis et psallebatis in eius dorso, ubi lignum scidistis et ignem accendistis et carnem coxistis⁶. Ergo cur timetis istas ? Nonne Deus omnium bestiarum est Dominus noster Iesus Christus, qui humiliare potest omnia animantia ? »

His dictis cantare cœpit voce tam alta quam potuit. Fratres semper adspiciebant bestias. Quæ, cum vocem cantantis audivissent, ab arena surrexerunt ; circum navem natabant, ita ut fratres non possent ultra videre præ piscium multitudine. Pisces tamen non appropinquabant naviculæ, sed huc atque illuc natabant, finem missæ expectantes. Postea per diversas oceani semitas omnes bestię servos Dei fugerunt. Octo dies necessarii fuerunt, prospero vento et velis extensis, ut hoc mare transmearent. (...)

INSULA FABRORUM⁷

Transactis autem diebus octo, haud procul viderunt insulam valde rusticam, saxosam, sine arboribus et herba, et plenam officinis fabrorum. Venerabilis pater fratribus suis dixit : « Vere, fratres, sollicitor de hac insula, quia neque volo ad eam appellere neque etiam appropinquare, sed ventus nos illuc trahit recto cursu. » Tunc tamquam tonitruum audiverunt sonitus follium sufflantium malleorumque collisiones. His auditis, sanctus pater oravit : « Domine, Iesu Christe, libera nos ab hac insula. »

Tum ecce unus ex incolis huius insulæ egressus est foras ad aliquod opus faciendum. Erat ille hispidus et igneus atque tenebrosus. Cum videret famulos Christi iuxta insulam transeuntes, revertit in suam officinam. Vir Dei fratres his verbis monuit : « Filioli, tendite vela magis in altum atque simul navigate quantocius, atque fugiamus istam insulam. » Citius dicto ecce prædictus barbarus occurrit ad litus, forcipe portans massam igneam immensæ magnitudinis et fervoris. Quam massam statim iecit ad famulos Christi. Sed eis non nocuit : longe enim præterlata est. Ubi cecidit in mare, cœpit fervere tamquam si fuisset ruina montis ignei, et fumus e mari ascendebat sicut ignis e clibano.

Tum omnes qui in insula erant cucurrerunt ad litus, singuli singulas portantes massas, quas unam post alteram in mare iaciebant. Mox tota insula visa est ardere sicut unus clibanus, et mare æstuabat ut cacabus plenus. Per totum diem audiverunt habitantium

ululatum. Sanctus pater suos monachos confortabat : « O milites Christi, aiebat, roboramini fide non ficta et armis spiritualibus, quia sumus in confiniis infernorum. Propterea vigilate et agite viriliter. »

MORS CUIUSDAM MONACHI

Postero die ad septentrionem versus eis apparuit mons altus et in summitate valde fumosus. Subito ventus eos rapidissimo cursu traxit ad litus huius insulæ. Navis non longe a ripa constitit ; nam erat ripa magnæ altitudinis, ita ut summitatem vix possent videre, et coloris carbonis, et recta sicut murus.

Unus e tribus fratribus, qui Brendanum subsequuti erant e monasterio, exsiluit de nave et ambulavit usque ad ripam. Mox clamavit : « Væ mihi, pater, abripior a vobis, nec valeo ad vos redire. » At venerabilis pater cum suis sociis videbat quomodo infelix a multitudine dæmonum deduceretur et quomodo ab eis incenderetur, atque dicebat : « Væ tibi, fili, quia talem finem vita tua meruisti. »

Interea prosperus ventus eos abduxit. Respicientes autem ad insulam montem viderunt fumo coopertum et flammam usque ad æthera ita spumantem, ut totus mons videretur esse unus ogus.

IUDAS ISCARIOTHES

Igitur cum septem dies navigassent ad meridiem, apparuit eis homo sedens in petra ; ante eum erat velum pendens inter duas furcillas ferreas, et sic fluctibus agitabatur sicut navicula. Fratres alii dicebant avem esse, alii navem putabant. Vir Dei eis dixit : « Desinite contendere. Dirigite navem usque ad illum locum. »

Invenere hominem in petra sedentem hispidum ac deformem ; undæ ex omni parte infelicem percutiebant usque ad verticem. Pannus quoque, qui ante eum pendeat, vento pulsus oculos et frontem eius percutiebat.

Beatus Brendanus eum interrogavit quis esset aut pro qua culpa talem pænitentiam sustineret. Ille autem respondit : « Ego sum infelicissimus Iudas, negotiator pessimus. Non pro merito habeo istum locum, sed pro misericordia ineffabili Iesu Christi. Nam non est pœna, sed indulgentia Redemptoris in honorem dominicæ resurrectionis. » Erat enim dies dominicus. « Mihi videor, cum hic sedeo, esse in paradiso deliciarum præ tormentis quæ mihi hac vespera futura sunt. Nam die noctuque in medio monte quem vidistis ardeo sicut massa plumbi in olla liquefacta. Ibi est Leviathan cum suis satellitibus. Ibi fui cum deglutivit fratrem ves-

trum, et ideo tam lætus erat infernus ut foras emitteret flammam ingentes – hoc facere solet quotienscumque animas impiorum devorat. Meum vero refrigerium hic habeo omni die dominico a vespera usque ad vesperam, et in Nativitate Domini usque in Epiphaniam et a Pascha usque in Pentecosten et in Purificatione Dei Genetricis atque Assumptione. Postea et antea crucior in profundo inferno cum Herode et Pilato. » (...)

TERRA REPROMISSIONIS

Sanctus Brendanus et eius comites navigaverunt ad insulam procuratoris⁸, qui iter cum eis tum perrexit. Transactis diebus quadraginta, vespere cooperti sunt caligine tam densa, ut unus alterum vix posset videre. Procurator autem Brendano : « Scisne, inquit, quæ sit hæc caligo ? » Brendanus rogavit : « Quæ est ? » Et ille : « Hac caligine occultatur insula, quam per septem annos quæsivistis. » At post unam horam eos iterum circumfulsit lux ingens, et navis stetit ad litus.

De nave descendentes terram viderunt spatiosam ac plenam arboribus pomiferis, ut solent esse tempore autumnali. Per quadraginta dies totam terram lustraverunt, nec potuerunt eius finem invenire, nec umquam fuit nox. Quodam vero die viderunt flumen magnum. Tunc sanctus Brendanus dixit : « Hoc flumen non possumus transire et ignoramus huius terræ magnitudinem. » Cum hoc intra se volverent, ecce iuvenis eis obviam venit, eos magna lætitia osculans singulosque nominatim appellans. « Ecce, inquit, terram quam diu quæsivisti. Ideo non potuisti eam statim invenire, quia Deus tibi ostendere voluit diversa sua secreta in oceanum magno. Nunc revertere ad terram tuam, tecum portans huius terræ tot fructus et gemmas, quot tua navicula potest capere. Flumen quod videtis insulam dividit. Sicut vobis nunc apparet matura fructibus, ita omni tempore manet sine ulla umbra noctis. Lux enim eius est Christus. »

Acceptis vero fructibus et gemmis, dimisso benedicto procuratore et iuvene, sanctus Brendanus cum suis fratribus ascendit naviculam et cœpit navigare per mediam caliginem. Cum eam transiissent, pervenerunt ad insulam quæ vocatur deliciarum⁹. Ibi hospitio fructi sunt tres dies atque accepta benedictione Brendanus recto itinere domum reversus est.


MORS BRENDANI

Fratres eum gratulantissime acceperunt, qui eius præsentia tam diu essent orbati. Tunc beatus vir omnia narravit, quæ recordatus est in via accidisse et miracu-

la, quæ Dominus ei dignatus est ostendere. Postremo, post breve tempus, sacramentis munitus divinis, inter manus discipulorum gloriose migravit ad Dominum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Explicit. ❀

1. Agitur de « insula trium chororum », in qua unus e fratribus mansurus est ; vide *Melissæ* fasciculum II3, p. 13.
2. Quid sit scalta (calta), non bene scitur. Videtur esse genus floris.

3. Ps. 84,8.
4. Ps. 67,1 ; 70,2 ; II6,10.
5. Antiquum nomen est « gryps » sive « grypus ». Apud Cangium invenitur « griffus » ; C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, IV p. 112 : griffus, gryps, gryphus, quadrupes alatum, sed fabulosum.
6. Agitur de balæna, quam habuerunt pro insula. Vide *Melissæ* fasciculum II2, p. 14.
7. Hæc pars narrationis, quæ Odysseæ Cyclopem redolet, verisimiliter spectat ad eruptionem alicuius montis ignivomi.
8. Vide *Melissæ* fasciculum III, p. 16.
9. Vide *Melissæ* fasciculum II0, p. 13. Nonnulli commentatores putant illam insulam haberi paradisi procceton.



In hoc fasciculo !

- Responsum ad amicum Americanum* [G. Licoppe] p. 1
Latinitas et ceteræ linguæ Europææ (II) [E. Palmén] p. 2
Raptim huc devertisti... ! [E. Palmén] p. 5
Cambosia (I) [A. Vanautgaerden] p. 6
Inedita Hieronymi Bononii epigrammata (III) [Th. Sacré] p. 8
De renovata Brendani navigatione (I) [G. Licoppe] p. 10
Musa Latina [D. Blanchard, H.A. Bologna] p. 12
Navigatio Sancti Brendani (V) [F. Deraedt] p. 14



LATINE LOQVI...

MELISSÆ SEDES INTERRETIALIS

<http://membres.lycos.fr/melissalatina>
<http://www.melissa.int.ms>

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

vos invitat ad sessiones Parisiis participandas his diebus : 18 m. Ianuarii, 8 m. Martii, 26 m. Aprilis, 14 m. Iunii a. 2003 in Instituto Universitario Sancti Pii X, 21 rue du Cherche-Midi, hora 14. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Dominicum Viain : dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Conventiculum anno bis millesimo secundo a mensis Iulii die undevicesimo usque ad undetricesimum agitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiler Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

habebitur mense Iunio anni 2003 in media Vasintonia Civitate (in America Septentrionali), moderantibus Stephano Berard, Terentio Tunberg et Iacobo Dobreff. Sessiones præparatoriæ : diebus 19 et 20 ; conventiculum : de die 21 usque ad diem 29. Quæ erit pulchra occasio et sermonis Latini exercendi et montium silvarumque lustrandarum. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem Stephanum Berard : sberard@wvc.edu

FERIÆ LATINÆ

Media in Provincia, in abbatia Sancti Michælis Ferigolestensis, loco amœnissimo et quietissimo, a die 23 ad diem 30 m. Iulii fient feriæ æstivæ inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Dominicum Viain, 18, rue Saint Jacques, F-91410 Dourdon, vel Ioh. Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins sup., F-06510 Gattières

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminaria Societatis Latinæ sunt prima huius generis, quæ inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P. C. Eichenseer et Doctrix S. Albert. ¶ Duo seminaria anno 2003 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 20-26 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbatia Maretiolensi : 6-12 m. Augusti. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

SEMINARIVM VINDOBONENSE

institutum a L.V.P.A. et Fundatione Melissa, in Austria fiet a die 4 in diem 11 m. Augusti a. 2003 in monasterio Sanctæ Crucis, non longe a Vindobona. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant sive ad Ingam Pessarra, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen (ipg@surfeu.de), sive ad Gaium Licoppe, avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles (guy.licoppe@pophost.eunet.be)

SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 27 m. Iulii ad diem 2 m. Augusti a. 2003. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Gölhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)

SOCIETAS INTERNATIONALIS STVDIIS NEOLATINIS PROVEHENDIS

duodecimum Conventum a die 3 ad diem 9 m. Augusti a. 2003 Bonnæ apud Germanos celebrabit. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem M. Laureys, Universität Bonn, Seminar für lateinische Philologie des Mittelalters und der Neuzeit, Am Hof, 1e, D-53113 Bonn.

SYMPOSIUM LATINVM

Arimini instituetur ab Academia Scientiarum internationali Sanmarinensi a die 1 ad diem 5 m. Septembris a. 2003. ¶ Qui plura scire cupiunt acroasinve facere cupiant, scribant ad Veram Barandovská, Kleinenberger Weg, 16, D-33100 Paderborn (bbaral@hrz.uni-paderborn.de)